



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

II. De Paschate per sex dies festos agendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

eam facti sumus serui iustitiae. Exhibeamus Domino liberam seruitutem, cuius nos nouimus pietate de ergastulis liberatos erroris. Non quia hoc Dominus noster a nobis expetit, ut corporali abstinentia diem dominicam celebremus: sed quærerit obedientiam, per quam nos calcatis terrenis actibus ad cælum usque misericorditer prouehat. Si quis itaque vestrum hanc salubrem exhortationem parui penderit, aut contemptui tradiderit, sciat se pro qualitatis merito principaliter a Deo puniri, & deinceps sacerdotali quoque iræ implacabiliter subiacere. Si causidicus fuerit, irreparabiliter causam omittet: si rusticus aut seruus, grauioribus fustium iactibus verberabitur: si clericus aut monachus, mensibus sex a consortio suspendetur fratum. Hæc namque omnia & placabilem erga nos Dei animum redundunt, & plagas morborum vel sterilitatem amouent atque repellunt. Noctem quoque ipsam, quæ nos inspiratæ luci inaccessible reddidit, spiritualibus exigamus excubiis; nec dormiamus in ea, quemadmodum dormitant qui nomine tenus Christiani esse noscuntur, sed oremus & vigilemus operibus sacris, ut digni habeamur in regno heredes fieri salvatoris.

II.

Pascha itaque nostrum, in quo summus sacerdos & pontifex pro nostris delictis nullam habens' obnoxietatem peccati immolatus est, debemus omnes festiuissime colere, & sedulæ obseruationis sinceritate in omnibus venerari: ut illis sanctissimis sex diebus nullus seruile opus audeat facere; sed om-

nes simul coadunati, hymnis paschalibus indulgentes, perseuerationis nostræ præsentiam quotidianis sacrificiis ostendamus, laudantes creatorem ac regeneratorem nostrum vespere, mane, & meridie.

III.

Relatione quorumdam fratrum nostrorum comprehendimus, Christianos non obseruantes legitimum diem baptismi, pene per singulos dies ac natales martyrum, filios suos baptizare, ita ut vix duo vel tres reperiantur in sancto Pascha, qui per aquam & Spiritum sanctum regenerentur. Idcirco censemus, ut ex hoc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare, praeter illos quos infirmitas nimia, aut dies extremus compellit filiis suis baptismum percipere. Ideoque præsentibus admonitionibus a suis erroribus vel ignorantia reuocati, omnes omnino a die quadragesima cum infantibus suis ad ecclesiam obseruare præcipimus, ut impositionem manuum certis diebus adepti, & sacri olei liquore peruncti, legitimi diei festiuitate fruantur, & sacro baptisma regenerentur: quo possint & honoribus, si vita comes fuerit, sacerdotalibus fungi, & singularis celebrationis solennitate frui.

IV.

Residentibus nobis in sancto Concilio, cognovimus quosdam Christianos, reliquo fratum cœtu, a mandato Dei aliquibus locis deuiasse, ita ut nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio deitatis, dum sacris altaribus nullam admovent hostiam. Propterea decernimus, ut omni-

K iij